



Index contentorum.


1. De balsamo Peruviano.
  2. de prudenti vitium medicamenti exploratione.
  3. de erroribus circa usum topicorum in praxi.
  4. de natura & praesentia Vini Rhenani.
  5. de Bradyporia.
  6. de purgantibus fortioribus ex praxi eiusdem.
  7. de anatomia publica.
  8. de luxationum syntheysi in genere.
  9. de auditu difficulti.
  10. Ulcerum etiologia & curatio.
  11. de purgantibus selectis & minus cognitis.
  12. de specificis antispasmodicis.
  13. de perpetuo asthmalio ex thorace.
  14. Pathologia diuinaturat Helmontiani.
  15. de morbis lienis.
  16. de affectuoso scorbutico pustulari.
  17. annorum climacteriorum rationalis explicatio.
  18. de specificis antispasmodicis.
  19. de bile medicina & veneno corporis.
  20. de Carolinis thermis.
  21. de temporibus anni infelicitibus.
  22. de temperamento fundamento morum & morborum.
  23. de morbis certis regionibus & populis propriis.
  24. crismi natura & explicatio rationalis.
  25. de inflammatione verticuli.
  26. de siderum in corpora influen.
  27. de methodo vitam longam acquirendi. Wolffii epistola.
  28. medicus sui ipsius.
  29. de astmate convulsivo cum hydrope pectoris.
  30. de anatomia in praxi medica usu.
- X c. 33..

um,  
la.

3  
3  
3  
3  
3  
3  
3

31. Leger naturae in corporum productione & con.  
servatione.
32. de morte subita praecauenda.
33. de duodeno multorum morborum sede.
34. de natura & arth effectu in medendo.
35. de origine et natura pestis
36. methodus curandi pestem.
- 37.

Rep. 74





Fridricus Hoffmann  
Fridrica Ernesto Filio  
affest.  
mcccxxxiii. Maio.

DIVINA FAVENTE GRATIA!  
DISSERTATIO MEDICO - CHIRURGICA INAUGURALIS

De

# LUXATIONUM SYNTHESI IN GENERE,

Quam

IN ALMA REGIA ET ELECTORALI FRIDERICIANA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSÆ ET ELECTORATUS BRANDENB.

AC PROVINCiarum HÆREDE ETC.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

P R A E S I D E

**DN. FRIDERICO HOFFMANNO,**  
MEDICINÆ ET PHILOSOPH. NAT. PROF.

PUBL. ORDINARIO,

POTENTISSIMI REGIS BORUSS. CONSILIARIO  
ET ARCHIATRO h. t. DECANO,

DN. PATRONO ET PROMOTORE SUO OMNI VENERATIONIS  
CULTU PROSEQUENDO.

## PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES JURAQUE ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA

Ad d. 17. Septembr. Anno M. DCCIII.

Horis ante & pomeridianis consuetis

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ Eruditorum disquisitioni submitteb

**JOHANNES GODOFREDUS Grubelmann**  
Grim. Misn. Med. Pract.

---

Hæc Magdeburgicæ, Typis Johannis Gruner, Acad. Typogr.

DIESES LIBRARIUS

VIRO

Summe Reverendo, Amplissimo atque Excellentissimo,

DOMINO

**CHRISTIANO BIRNBAUMIO,**

SS. Theologiae Doctori longe Celeberrimo & Primislatiae Uccero-  
Marchia Metropolis ad D. Mar. Pastori & Diecæsos Inspectoris  
Vigilantisimo, Meritisimo,

Mæcenati atque Patrono omni venerationis cultu ad cineres  
usque devenerando.

Nec non

VIRO

Nobilissimo, Excellentissimo atque Consultissimo,

DOMINO

**MICHAELI THOMASIO,**

Juris utriusque Doctori ac Pract. Lipsiensi celeberrimo,  
PATRONO ET AFFINI SUO ADMODUM COLENDO,

ut &

VIRO

Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo,

**CHRISTIANO MAXIMILIANO SPENERO,**

Ser. & Pot. Reg. Brussl. & Elect. Brand. Med. Aul. Acad. Med. Doct.  
S. R. J. Nat. Cur. Clidemo & Soc. Scient. Reg. Brandenb. Collegæ.

PATRONO MAXIME SUSPICIENDO

Specimen hoc Inaugurale in debitæ observantiaz monumentum &  
studiorum meorum commendationem ea, qua decet, reverentia offert,  
dicat, consecrat

Excellentiss. V. V. V. Nominum

JOH. GODOFREDUS GRUHLMANNUS,

devotissimus cultor  
Grim, Mifn.



C. Dn. Candidato

S. P. D.

## P R A E S E S




Ulgaris est parœmia: *Nec temere, nec timide.* Hoc sapiens edictum, si ullibi, certe in medicina & chirurgia locum invenit, ubi omnis temeritas & timiditas magno est exitio ægrotantium saluti. Nam profluunt hæc vitia ex ignorantia.

Unde elegantissime scriptum reliquit Hippocrates, in Libro, cui titulus, *Lex: Imperitia alacritatis, fiduciaeque aet verae exultationis expers, timiditatis & audacie nutrix est. Timiditas equidem impotentiam, audacia vero ignorantiam artis significat.* Nullum autem vitium visitur frequentius in chirurgia, timiditate & audacia; quin ut ingenue dicam

ex

ex decem eorum vix unus est, qui his caret, ob malum  
videlicet illum ignorantiae thesaurum. Certus vero, con-  
fidens & cordatus is est, nec hæret, nec putat, nec flu-  
ctuat, qui certo scit, quæ facere, quæ omittere debe-  
at. Atque talis demum est qui anatomiae studium, qui  
encheires in operando caller, qui naturas distinguere  
& effectuum reddere rationes potest. Vehementer o-  
ptandum foret, ut omnes in quavis civitate ita essent  
comparati Chirurgi, sed nolunt discere quæ nunquam  
didicerunt. Nullum itaque aliud consilium hic restat,  
quam ut Chirurgia transferatur ad Medicinam & Medi-  
cina ad Chirurgiam. Medicus enim Chirurgus omni-  
bus venerandus est. Approbo itaque valde tuum cona-  
tum & studium, Cl. Candidate, quod Chirurgiam feli-  
citer conjunxeris cum Medicina. Argumento est tua  
dissertatio, quæ laude & commendatione non indiget,  
monitis enim & dictis Præceptorum tuorum salubri-  
mis abundat, unde etiam cum copiose quæ dicenda füe-  
runt complectatur, nolui de meis aliquid addere præter-  
quam votum, ut T. O. M. DEus laudatissimis tuis labo-  
ribus practicis cœptis benedicere, eosque ut sint auxilio  
ægrotis, perpetua fortuna velit beare,

Tar.



## PROOEMIUM



Anta erat olim artis Chirurgicæ dignitas & præstantia, ut antiquissimi & sapientissimi Medici Æsculapius & Hippocrates eam exercere non dubitarint; quin imo ipse Homerus passim Podalyrium Machaonem, divini Æsculapii sobolem ceu chirurgos insignes celebrat, neque hoc sine injuria; nam vitia & labem externalium partium non regete & feliciter chirurgus tollere poterit, nisi anatomiam & structuram sicut ac nexus partis affectæ calleat, nisi porro internis remediis temperiem & motum sanguinis & humorum in ordinem redigere studeat, uno verbo, nisi rationalis sit. Quapropter omnis chirurgia empyrica solida ratione destituta non modo fallax sed & periculi plenissima est. Mea itaque est sententia, nem-

A

nem

nem posse tuto compendiose & feliciter exercere hanc  
artem, nisi principiis physicis mechanicis & præsertim  
physiologia corporis humani & anatomia exacte sit in-  
structus, unde Chirurgia etiam à Medico rationali fa-  
cile addisci potest. Optandum itaque foret, cum ars tam  
nobilis & evidens, humanoque generi utilissima sit, ut  
à Medicis diligentius & accuratius excoleretur: ita enim  
non tanti errores, abusus & noxæ quotidie committe-  
rentur. Hæcce pensitans, non dubitavi, cum specimen  
inaugurale mihi edendum injungeretur, argumentum  
quoddam chirurgicum expendendum eligere, in quo vi-  
res meas proprias, quantum possint, exerere volui;  
assumendo prænobilem istam materiam de luxationi-  
bus, quam si pro rei dignitate, non adeo peritus ceu ju-  
venis persecutus fuero, veniam me impetraturum esse  
confido ab eo, qui considerat, materiae difficultatem  
& amplitudinem. DEus interea assit at his meis cona-  
titibus.

CAP.

CAP. I.

*Nominalem & realem Luxationum definitio-  
nem explanat.*

**A**D ipsam jam materiam hujus dissertationis inauguralis elaborandam lubentissime à me susceptam, me accincturus, nec planè *αὐθόδως* acturus, hoc in loco remotâ omni verborum circumstitione explicanda mihi occurrit Luxationum ὀσματολογία, quæ more veterum consuetò tribus illis communissimis, Etymologia, Homonymia et Synonymia absolvitur. Ossium Luxatio nil in chirurgicis aliud, quam osium flexibili um è locis suis naturalibus mutationem præternaturalem significat, quæ à Latinorum Cicerone Celfo græcos respiciens codices à sede sua vocatur motio. Et denotat violentum ex proprio naturalique situ in sequentem osium prolapsum, sola motus impotentia, doloreque plusquam notabilis, aut simul inflammatione, vulnere, vel fractura è quibus prima species luxationis simplex, altera composita Chirurgis dicitur. Morbus est in situ, à causa plerumq; externa violenter agente, proveniens, & recessus osis è proprio sinu & loco in alienam sedem, motum arbitrarium impediens, uti Ioh. Muys in Chir. Barbett. cap. 5. p. m. 21. definit.

§. II. Luxatio derivatur à supino Luxatum verbi Luxo, quod vocabulum unicuique ferme non iñotum est; Differt autem Luxatio à fractura, quod etiam vox innuit ipsa, nam fractura est quando os aliquod disruptur & frangitur; Luxatio vero quando articuli caput suà è sede excidit, & in aliam secedit. Genuina huic, quæ de Iacobo Patriarchà, ex luctatu cum angelo claudicante, Genes. 32. vers. 25. extat D. D. Paraphrasis est cui è major habenda fides, quo voce illam omni testimonio majorem significare constat.

A. 2

§. III.

§. III. Dicitur **Glaec. ἐπιθυμία**, **ἐπιθυμίας**, Hippocr. ossium vel articulorum ē sede sua prolapsio vel amotio citra fracturam, Galen. com. *eis τῷ περὶ ἀγρυπνίᾳ* sine fractione excessus. Excidentia absque fractura eveniens Gal. I. De Fract. t. I. Idem quod: *ἐξαρθρωτικός*, **ἐξαρθρωμα**, dicitur qvum os citra fracturam suo loco movetur I. de fract. t. I. §. 3. de iis, q. in med. t. 13 (vid. Galen. in com.) I. 1. de morb. v. 15. At v. in t. 3. Epidem. in statut. pestil. **ἐπιθυμίας** significant partium corruptarum decidentias & mutilationes. Cum additione *ὑστέρων* etiam de secundinis excidentibus legitur 5. Aphor. 49. Vid Dictr. n. 257. Verbum quoque **ἐπιπίνατος** de omenti prolapsu usurpat. 6. aph. 58. Dict. n. 254. **ἐξαρθρημα**, vocatur, & qvidem totalis, quando totorus a suā sede excidit articulus, vel quantus est recessit. Gal. I. 2. & Method. Med. c. 2. Paul. Aegin. c. III. de ossibus luxatis p. m. 678. **Ολισθητικός**, Oolithema appellatur integra articuli vel ossium prolapsio seu Luxatio perfecta ad differentiam **διακίνητος**, quod parvam osis emotionem significat. Hipp. 3. De fract. t. 51. Gal. in com. adh. I. & in defin. Med. à verbo **ολισθαίνω**, prolabor, qvod legitur 2. de fract. t. 39. & 3. h. t. 61. & 4. de artic. t. I. **ἐκβολή** Luxatio artuum ejactio vel expulsio, **λυσίγυνα**, membrorum luxatio & dissolutio, ap. Hipp. in lib. de Coc. in hom. XXVIII. II. nuncupatur. **διακίνητος**, dicitur dimotio, cum osa paulatim excesserunt, parva osium prolapsio ap. Cels. I. 8. c. 14. à verbo **διακίνω** dimoveo. Hipp. 2. de art. t. 13. **παράθροπος**, **παράθρημα**, vel distorsio, id quod Diacinema, parva luxatio, per quam scil. articulus leviter suo loco naturali recessit, Gorr. subluxatio, Prolapsus, dicipotest. Forest. I. 9. chir. obs. I. in Scol. Elongatio ligamentorum ab Avicen. dicitur **χαλασμα**, **χαλασις**, Laxatio I. remissio verbi **χαλάνων**. Laxor. **διαστοσ**, specialiter sumitur de ossium diductio-  
ne,

ne, quæ vel per suturam vel coalitionem mutuam juncta  
esse debent, Hipp. 3; de Fract. t. 63. Gal. c. 2. de artic. t. 1.  
Lat. Dislocatio, Arab. Algaacnu. Alheven. Fegg. Facca. Gal.  
Dislocation de membre. Ital. Snodatione Snodato in Lex.  
Castello Brunoniano p.m. 926. vocatur Batav. dicitur Ontle-  
ding, Wanneeret cen of ander Been uit sijn ordinario plaats,  
of holtighcit gewecken is & Germ. Verrenfung / Ver-  
stauchung oder Verrückung.

§. IV. Fracto nunc nominis cortice ipsum rei nucleus lib-  
erius degustabimus, & realem luxtionis de finitionem ex-  
plicabimus. Luxatio saltē articulationibus propria, qvando  
scilicet ossis extremitas sive caput e sede sua seu acetabulo  
detorquetur, & id quidem fieri solet aut cum elevatione ita,  
ut os luxatum ascendat vel cum depressione, ut des-  
cendat, vel ad alterutrum latus, ut aut in dextram aut sinis-  
tram partem recedat. Id quod apud Nobilissimum Excel-  
lentissimum atque Experientissimum Dn. D. Augustum  
Quirinum Rivinum, Prof. Publ. Lips. Pathol. per orbem  
famigeratissimum, D. Patr. & Præceptorem, omni honoris  
cultu plurimum devenerandum in Notitia morborum  
compendio a §. 55. eximiè legere licet.

§. 5. Ossa Luxationi apta sunt ea, quæ per articulationem cohærent. Nam utut urgeri posfit, secedere interdum à se-  
se invicem ossa per suturam cohærentia; Attamen hic potius fit secessus per fracturam quam per Luxationem quæ  
vero à se secedunt medio connectendæ æso, potius  
præsupponunt medi connectendi aut Luxationem aut  
unitatem solutam. Sic v-g. scilicicula secedit vel à sterno,  
vel à processu etiam acromio hoc potius præsupponit vul-  
nus in quo tamen vulnere habenda est ossis translocatira-  
tio, licet non sub Luxationis forma.

§. VI. Luxationis subjectum, in quō hæret malum sunc-  
ossium juncturæ pariter atque articuli, extra eos ve-  
ro non datur Luxatio. Quot ergo sunt articuli in totō  
hominis corpore, tot etiam sunt Luxationes: Sic caput,  
thorax & lumbi possunt luxari, scilicet quod suis gaude-  
ant vertebris, item ossa carpi & metacarpi, tarsi & meta-  
tarsi, maxilla inferior, aliaque possunt pati luxationem  
& dislocationem.

§. VII. Explicatā vero Luxationis denominatione &  
significatione earum quoque synthesis huic adhuc capiti  
sine prolixis verborum evolutionibus adjungendam  
& explicandam esse, summa fani urget necessitas. Syn-  
thesis conjungere separata, mutuam ossium compositionem  
ac connexionem significat, Galen. lib. de ossibus,  
in prooemio. Nam in specie de naturali ossium co-  
ordinationē usurpatur, & eandem, quam homilia, ha-  
bet significationem, videlicet cohesionem partium, &  
principue ossium inter se ap. Hipp. i. de artic. t. 5. ubi ver-  
bum ὄμιλα legitur: *nataqion*, restitutio Luxatorum  
in naturalem situm legitimumque juxta Pauli Aeginetæ  
mentem lib. 6. appellanda est synthesis, metaphorice signifi-  
cat reconciliationem. Quamvis alias etiam morbus nec pe-  
riculō, nec facie dissimilis phthisi hoc nomine veniat apud  
Plin. secund. l. 1. de Medic. c. 62. qui tamen solus inter tam  
multos ita scripsit. Medicamentum quoque compositum  
dicitur à Q. Sereno c. 30. Vide Keuchen not. p. 210. Græc.  
*κονδεσις*, *σύνταξις* & *όμιλα* Gorr. Lat. Coordinatio vo-  
catur.

§. VIII. Luxationum igitur synthesis est operatio me-  
re chirurgica, quæ partes corporis nostri p. n. à quacun-  
que causa separatas & luxatas adducit, conjungit, con-  
junctasque seruat. Indicans hanc, ejusque objectum  
exter-

externi sunt solutæ unitatis morbi seu in durioribus seu mollieribus membris contingentes, scilicet fractura & luxatio, qui ideo dicuntur externi, quod à vi ut plurimum externa, contusione & percussione orientur, non vero quod solas externas afficiant partes, nam interdum etiam ad interiora v.g. vulnera cordis & pulmonum, penetrant.

## CAP. II.

### Multifarias Luxationum Differentias examinat.

#### S. I.

**E**xplanatis in superiori luxationum definitionibus, ad illarum differentias mihi cognoscendas, est progrediendum, & in specierum distinctionem devenerendum. Quoad Luxationum differentias poterunt hæc di germanis, quibus ut plurimum propria fordan, aliena rident, das Ausrenken & si à lapsu oritur Ausfallen/ quando ita loquimur: Er hat sich den Arm oben in der Achsel ausgerenkt oder ausgefallen. In subluxatione verrenken/den Ellenbogen verrenken/in manu vergreissen/in pede vertreten/ & in dorso, verrenkt oder verrückt dicitur, & dividitur primum in simplices & compositas, ita ut simplex sit, cui nullus aliis combinatur morbus, & composita, quæ aliis cum malis interdum concurrentibus complicatur. v.g. inflammatione vulnerum & fractura. Deinde ex causarum mox sequentium differentia multiplex iterum luxationum varietas oritur, quatenus nempe vel ex toto, vel quatenus sede saltem naturali exturbatur ossis caput, aut simul tendines distenduntur aus disrumpuntur.

**S. II.** Ea propter simplicem rursum juxta Barbett. Chir.c. V.p.m. 21. à forma dividere solemus in Exarthroma, Pararthrema & Diaftasfin. ἔξαρθρον lāt. καρπόν dislocatio diciur, quod os totum extra sinum seu receptacu-

pro-

lum prodit; *Parartrome*, distura seu retorsio,  
quod ex parte latere, i. e. ad limbum seu marginem ac-  
tabuli tantum os dislocatur, quod tamen vix locum habet,  
nisi in Syntarsis ac Arthrodia. *Subluxatio* seu  
*Prolongatio* vero qualem in carpi ossibus saepius se vi-  
dissit Aquapendens testatur, est, quando scilicet articulus  
à naturali tantisper declinat situ, & ubi ligamenta & ten-  
dines, extensi prolongati aut plane disrupti secedere os  
permittunt, ut membrum ex longius latiusque fiat.

§. III. Dislocatio sex iterum differentias complectitur  
à loco, in quem os prolabitur, petitam, scilicet ad inferiora,  
superiora, dextrorum, sinistrorum, in anticam & posti-  
cam partem, quamvis paucissimae articulationes has  
differentias cunctas sustineant, dum v. g. maxilla inferior  
anteriorum saltem in adultis luxatur, os femoris ad inte-  
riora, rarius ad posteriora, os humeri rarissime sursum  
aut extrorsum, frequentius deorsum seu introrsum move-  
tur. Quo vero paulo curatius cognoscamus harum Luxa-  
tionum differentias cognitae nobis prius accurate natu-  
rales ossium junctorum esse debent, tumque haud difficile  
observatur: sumus, num introrsum, aut extrorsum ad su-  
periora aut inferiora propulsum fuerit ossis caput.

§. IV. Sed si naturalem ossium connexionem sub-  
jungerem, nimis prolixum fore, puto. Videri hac de re pos-  
sunt Viri Excellentissimi atque Experientissimi: B. Dn.  
D. Joh. Frid. Ortlobius, in partium corporis humani hi-  
storia. Dn. D. CHRIST. Lud. Welschius in Tab. Anat. Phi-  
lip. Verheyn in sua humani corporis Anat. Tr. V. c. 1. p.  
m. 416. Joh. Munick. in Tract. de re anatomica conscripto  
§. 66. p. m. 201. Joh. Helffr. Jungk. in app. anat. c. 23. p. m.  
203. Paul. Barber. in anat. pract. c. 3. p. m. 313. D. L. Sterre in  
exam. chir. pract. c. 1. p. m. 255. Godfr. Bidloo in corporis  
hum.

hum. Ahat. Casp. Bartholinus in Inst. anat. Hornius, Blan-  
cardus, Cuperus aliique plures ex recentioribus. Ex veteri-  
bus autem vid. Real. Columbus de ossibus lib. I. p. m. à  
16. ad 23. usque. Vesalius & Spigelius de humani corporis  
fabrica. Hier. Fabr. ab Aquapend. de ossium articulatio-  
nibus Casp. Bauhinus in Theat. anat. Petrus Pavius de  
hum. corporis ossibus. Joh. Riolanus in osteolog. & non-  
nulli alii. Differentiam à causis desumptam sufficientem  
esse censeo, si dico luxationem existere aut externam vel  
violentam, aut internam, quæ nimur originem tra-  
hit ex humoribus ad articulos fluentibus & laxantibus  
ut plurimum autem observatur in enarthroscum syneuro-  
si conjunctâ.

### CAP. III.

*Externas & internas Luxationum causas rimatur.*

#### §. I.

**D**ifferentiis luxationū probe consideratis porro ad cau-  
sus ipsarum enucleandas per venturus sum: Scire, est  
rem per causas cognoscere, dicunt Philosophi. Medicorum  
est mederi, morborum causas dignoscere, easque legitimā  
methodo & necessariis tollere re medii præcipuorum ge-  
nerum, altera nempe est proxima, alteraque remotior: Quo  
de videri meretur Joh. Theod. Schenckii Exerc. Med. Chir.  
de Luxationibus ossium ingen. memb. 3. Luxationum cau-  
se postmodum iterum duplices sunt. vel externæ vel inter-  
næ. Externæ varia existunt violenta, quæ corpori accidere  
possunt, scilicet: violentæ articulationum contusiones & di-  
storsiones. In genere omnis violentia externa in causa  
est, sive id fiat corpore ipso, si alliditur quis ad objectum  
sive objectum ipsum allidat ad corpus.

§. II. Sic à percussione, atque ubi aut saltus aut casus ab  
alto vel equo præcesserit ibi non difficile fieri potest luxatio-

B

ossis

ossis femoris & axillæ : Sic facile contingit vertebrarum  
dorsi luxatio ab inconvenienti superdorso decubitu dā  
man sīch wehe thut (ut ita loquar,) sicque multi de lu-  
xatione conqueruntur perpetua , atque hæc est causa,  
si quis nimium se extendit attollitve , quod laboriosis  
non infrequens est hominibus. Porro a tendinis muscu-  
li subclavij laxatione oritur claviculæ luxatio , & in re-  
centi adhuc memoria hæret, quod Excellentissimus atque  
experientissimus Dn. D. Andreas Petermannus Prof. Publ.  
Anat. & Chir. longe Celeberrimus Dn. Patronus & Præcep-  
tor meus etiam post obitum ejus pia & nunquam inter-  
moritura veneratione deprædicandus, in Anat. cad. hum.  
Masc. publ. Anno 1702. præterlapso Lipsiæ habita allega-  
vit , & in eo ipso subiecto ad oculum veluti demonstra-  
vit , se ejusmodi exemplum in quodam rustici servo,  
cui pullus equæ super utramque axillam circa ossium cla-  
vicularum situm à parte tergi postica imposuit, observa-  
sse. Ad hæc lapidum quoque projectio brachium & inæ-  
qualis super lăpides acutos & altos ingressus, ubi pespe-  
ricilitatur, pedes luxare potest. Tum luxationem intro-  
ducere potest impetuofus corporis motus, ac vehemens  
haud raro extensio vel repressio , quæ subinde obstetri-  
cibus non admodum cautis evenit, ut Paul. Barbette in  
chir. c. v. p. m. 22. se observasse putat;

§. III. Verum vir , mihi pro merito nunquam satis  
laudandus , Dn. D. Petermannus , in Colleg. chir. in Bar-  
bette. privatim habito cap. V. se profecto non videre inquit,  
quomodo per vehementem extensionem obstetrix infer-  
re luxationem possit parturienti. Siquidem nunquam  
per extensionem , sed potius per repressionem , os co-  
xendicis ab obstetricie tractatur. Conjectu itaque facile  
in statu naturali luxationem infantis non esse metuein-  
dam

dam, quia tunc si ex possunt prehendere caput, & firmiter trahere, ipsum caput jamjam ultra dimidium pudenda penetravit muliebria; sed in statu potius p. n. ob brachia scapulas etiam nimium latas capite jamjam expresso infantis truncus facilius adhaeret, uti videre est penes Frantz. Mauriceau de morbis gravidarum l. 2. c. 7. p. m. 287. c. 17. p. m. 354. tunc luxatio potest causari, & 1.) quidem ipsius capitidis cum vertebra prima ratione atlantis 2.) in bronchiis, si brachium nimirum alterum praeter altero extrahere conatur 3.) obstetrix, si infans ordine paritur inverso & 1.) quidem pedibus, testante Authore jam alligato c. 21. p. m. 367. c. 22. p. m. 371. Imolapsus foeti, quam intra uterum adhuc latitanti luxationem infert, sicuti Hippocr. de Artic. passim innuere videtur. D. Barb. loco citato ictu aut lapsu gravi embryonum ossicula in utero luxari testatur.

§. IV. An vero embryonum in utero luxentur ossicula ab ictu aut lapsu ex Dn. D. Petermanni supra laudati sententia locis antea jam alligatis certe determinari nequit. Quippe cum nemo ocularis eorum phænomenorum posset esse testis, neque licet argumentari: gravata gestationis tempore aliquando est lapsa peperit vero infantem, cui femur alterutrum fuit luxatum, ergo haecce à lapsu dependet luxatio. Et si rem accuratori altiori mentis trutina pensitamus, animadvertisimus hanc luxationem ab hac causa non satis esse probabilem, cum constet, quod foetus toto gestationis tempore his innatet humoribus, prætereaque duplice præmuniatur involucro, prout Dn. M. Nabothus, Fautor integerrimus & Præceptor meus honoratisimus, in Exercit. anat. exquisitissime & admodum perspicue demonstravit.

B 2

§ V.

§. V. Nec infrequens est, ut causa externa cum interna concurrat, sicut videre licet apud Hild. cent. VI. obs. 100. Unde etiam est, quod tenellorum ossa puerorum frequentius & ab externa causa leviore membrorum contorsiones atque luxationes patientur, quod articuli istorum imperfectiores, flexibiores & molliores adhuc sint, vid. Munniks Anat. nov. §. 33. p. m. 83. Theod. Kerckringii curiosa foetuum osteogenia. Henr. Eyssonii Tr. de ossibus infantis & Volk. Coiteri Tr. de foetus abortivi ossibus. Externis quoque luxationum causis à Fabro in chir. spag. f. 4. c. 11. p. m. 149. constellations, maligni etiam Astrorum influxus & aspectus, catharrhos & de fluxiones excitantes, adnectuntur.

§. VI. Internæ Luxationum causæ secundum Antonii Nuckii sententiam in oper. & experim. chir. 48. p. m. 121. à ligamentorum laxitate, vel humore extravasato inter duo ossa articulationem componentia hærente, producuntur, præter conformatiōnem ossium, ligamentorum & musculorum vitiosam (sicut latius ossis innominati acetabulum, & exilius osis femoris caput occasionem dedisse Kerckring. Spicileg. anat. observ. 61. perhibet,) sunt 1.) humores serosi pituitosi acres & quandoque tarei & ad juncturas fluentes, nunc ipsa ossa è suis articulationibus ejientes, & nunc ligamenta tam interiora, quam exteriora cum musculis saltim irritantes & relaxantes, ut tono horum vitiato ossa firmiter satis continerine queant, vel eosdem musculos ac ligamenta externa contrahentes, ut hæc abbreviata, illa à naturalibus sedibus protrahant.

§. VII.

§. VII. Illius generis humores hincque emergentes luxationes se frequentius in hydropicis observasse refert Excellentissimus atque Experientissimus Dn. D. Johannes Bohnius, Prof. Publ. Lips. Therapeut. Consummatisimus, Dn. Patronus & Præceptor perpetuo venerantis cultu prosequendus, in Colleg. Chir. art. IV. c. 8. i. p. m. 87. Quæ vero ex violentiore muscularum & ligamentorum contractione contingunt, uti ex Tulpii l. 4. obs. 55. & Job. à Meckren obs. chir. 30. videre est, convulsivos præprimis artuum motus pro causa agnoscent: immo iidem humores intra articulos congestimole & pondere suo ossa extra sedes naturales deturbant, observante Barb. chir. c. 5. p. m. 22. potissimum si coagulentur & in tophum abeant, v. g. in arthriticis, quo etiam referri debet, calli in acetabulis dictis post serotinam nimis osium luxatorum repositionem producunt, vid. Joh. Scult. Arm. chir. p. 1. Tab. 56. p. m. 226. Hic primo gelatinæ, dein cartilagineis tandem oassis naturam assumens, sensim sensimque incrementum capiens articulationem disnectit; Et hæc illa est luxationis species, quæ difficile & fere nunquam restituitur teste Nuckio loco supra jam citato.

§. IIX. Non influxus succi nervosi impeditus (uti plurimi olim veterum somniarunt,) sed idem præstare poterit fluxus potius spirituum animalium denegatus, atque hinc emergens ligamentorum & tendinum laxitas, quemadmodum ab Excellentissimo atque Experientissimo Dn. D. Joh. Wilh. Pauli, Patrono & Præceptore nulla mihi unquam intermoritura pietate colendo in coll. anat. experim. in Clarissimum Verheyn Lipsiæ habi-

to nobis demonstratum fuit sufficientissime, atque in paralyticis quotidiana adhuc experientia comprobat.

#### C A P. IV.

*Diagnostica & Prognostica Luxationum Signa revelat.*

##### §. I.

**C**AUSIS luxationum explicatis proximum nunc est, ut signa tam diagnostica, quam prognostica proponamus, quæ tantæ sane necessitatis sunt, ut haud immerito vulgo quidem, at vere tamen dicatur, quod qui bene cognoscat, bene etiam curer. Luxationum diagnosin in corpore præsertim macilento esse satis manifestam facilemque satis abunde testatur Barbette loco superius allegato. Nam si quid est, & præcessit, quod introducere luxationem potest, v.g. lapsus, percussio, contusio, graviosisne ponderis gestatio, tunc non dubitandum de luxatione, imprimis si dolor accidit exquisitus. Insuper tamen motus impotentia & fovea in loco insueto, tumorque in opposita parte apparen, item membra alteratio, fitusque respectu sanæ partis immutatio omnem tibi scrupulum forsitan adhuc hæsitant eximant, confirmante B. Dn. D. Christ. Joh. Langio, Practico quondam Lips. longe celeberrimo in coll. chir. c. 3.

**§. II.** Causas dabunt externas ægrotorum relationes, sicuti internas & inspecie seri vel pituitæ vitium habebis, si membrum pedentim debilitatum naturalem deserat situm, & licet repositum perfekte intra suum domicilium, haud permaneat. Porro humorum acrimoniam cognoscet ex dolore summo simul coniuncto & tartarum denique ex tophis ac nodis illius loci exigentibus.

##### §. III.

§. III. Signa itaque Luxationum diagnostica duplicita sunt, communia scilicet quæ luxationem ejusque speciem, & propria quæ ejus causas harumque differentias manifestant. Illa sunt 1) mutatio figuræ membra naturalis, quando in parte ejus altera tumor, circa sinum vero seu acetabulum fovea apparet, vid. C. Jungk. chir. man. c. 4. p. m. 142. quod solis dijudicare oculis licet in teneribus & mollioribus iubjectis & membris, in carnosis vero & crassioribus contrectatio simul requiritur.

§. IV. Inspectio & contrectatio nos reddit de luxationibus securos, si in nudo nimirum corpore, v.g. in brachio sunt eminentiae & foveæ observante Joh. Vigone in Tr. de ossium juncturarum dislocatione c. 1. p. m. 202. Nam os illo in loco ad quem prolabitur, eminentiam, & ex quo recessit foveam efficit, si vero accesit jam tumor, ut inspectio locum non inveniat, contrectatio adornanda erit. Sed plurimi chirurgorum id in usu habent, ut manibus contrectent impolitis, quas ferre nolunt ægri, dum sufficit modo si digito superficialiter fiat contrectatio, nam fovea aut eminentia etiam in tumore facile animadvertisitur, etiam in dorso, si modo digito dorsi vertebræ contrectantur, tunc fovea vel eminentia quoque observatur.

§. V. In subluxationis autem diagnosi, in corporibus appprime obesis signa rarissime adsunt pathognomonica infallibilia, præter actionem impeditam doloremque. Quamdiu igitur dolor & actio impedita adest, tamdiu pars illa habeatur luxata, & repositio tentetur, quia nimirum per hanc nihil mali præter dolorem ægrotantem.

ti inferimus. Quoniam vero omnis luxatio per integrum vitae tempus actionis naturalis rectitudinem tollit, melius est in casu dubio aliquem perferre dolorem superfluum, quam per totum vitæ tempus actionis integritate carere, idque in corporibus maximopere tenellis.

§. VI. Signis propriis causæ externæ utpote infensus incidentes non indigent, sed saltem internæ. Mala articulorum conformatio vix nisi per sufficientem reliquarum causarum remotionem in cadavere cognosciatur, sicut observatio Kerckringii superius allegata testatur, quamvis etiam hoc in passu aliquid lucis dispositio parentum concedat, quando claudicantes à claudicantibus frequentius generari per experientiam constat, adeoque etiam vitiosa partium solidarum constitutio per hæreditatem in prolem transfertur. vid. Jungk. chir. man. p.m. 144. f. 2. c. IV. Pet. Borell. c. 1. ob. 7.

§. VII. Ab humorum ad ligamenta atque tendines accubitu luxationes factas esse colligitur. 1) ex illorum in toto abundantia, 2) si luxatio non subito sed pedetentim contingat, ita ut luxandum membrum per aliquot tempus hoc atque illuc motibus agitur inordinatis, va cillet, ac licet reponatur, mox iterum procidat; 3) si non in uno latere, sed undique circa articulum cavitas gignitur, in quem digitus nullo resistente corpore adi gposit.

§. IIX. Callusvero subesse judicatur 1) si membra ante luxati restauratio tardior contigerit præprimis, si 2) in articulis non multa carne stipatis, ut in cubito, genu &c. Callus autem sicuti modo durior, modo mollior est ita

ita illius signa sunt 1) quando articulus deprehendatur gra-  
cillimus atque siccissimus. 2) nec ab ægro, nec ab adstan-  
tibus violentiore manu moveri queat : 3) Si præcesserit  
medicamentorum nimis incrassantium & siccantium usus;  
4) extenuatio & gracilis membra dicti sit diuturna. Mol-  
liorem adhuc deuotat 1) si recens is fuerit, 2) membrum  
aliquantum adhuc moveri queat : 3) recensita medica-  
ta haud fuerint applicata ac 4) ad tactum quoque tumor  
obseretur mollior. Denique tophum subesse præter  
signa causarum internarum & calli durioris generationem  
suadet dispositio ægri arthritica.

§. IX. Ad prognosin luxationum in genere quod atti-  
net, sciendum nullam harum per se esse lethalem, nisi &  
capitis & vertebrarum spinæ præprimis superiorum luxa-  
tionem excipias, teste Barbett. loco supra jam dicto, ut-  
pote quam necessario spinalis medullæ circa suum prin-  
cipium compressio, hinc ad partes inferiores denegatus  
spirituum animalium influxus excipit, Excellentissimi  
aque Experientissimi Dn. D. Bohnii, nunquam sine ho-  
noris præfamine nominandi judicio.

§. X. Capitis luxationem germ. den. Hals umdre-  
hen pronunciat omnino lethalem Excellentissimus at-  
que Experientissimus Dn. D. Petermannus in coll. Bar-  
bettian. c. v. §. 8 p. m. 28. quia nimurum simul infert spi-  
nalis medullæ contorsionem, & multorum vasorum ru-  
ptionem. Hinc in iis luxationibus semper observatur  
sanguis quidam extravasatus circa spinalem medul-  
lam, qui sanguis, indicio nobis est, utrum in infante recens  
nato & jamjam mortuo luxatio deprehensa sit facta in-  
fante vel adhuc vivo aut jamjam mortuo? Vertebrarum  
luxatio itidem est periculosa pro diversitate nimurum gra-  
duum. Nam potest omnino etiam esse penitus lethalis,

C

sicuti

sicuti vulnera spinalis medullæ profunda. Non raro infantes morintur ex vertebrarum dorsi luxatione, obser-vante Excellentissimo atque Experientissimo Dn. D. Ri-vino antea jam laudato in coll. p. m. 245. patholog.

§. XI. Specialiorem vero prognosin & quæ cu-ram luxationis faciliorem & difficilorem promittit, sup-peditant 1) Forma & conditio luxationis, quot facilis cu-ratur Pararthryma, tanto difficilius luxatio perfecta, & elongatio seu quæ cum ligamentorum laxitate conjuncta; 2) causæ, quæ si externa, faciliorem, quam interna seu quam conjunctam causam comitem habet, sanatio-nem concedit, 3) conditio subjecti, quatenus in corporibus puerorum seu adolescentium ceu alias exilioribus & mol-lioribus ossa luxata facilis quidem restituuntur, non tamen adeo firmiter retinentur, sed retentio est difficilior, quia difficulter asservari quieti possunt, cuius contrarium in adultis solidioribus & robustioribus subjectis con-tingit, sicuti à Muys in chir. Barbett. l. c. judicatur. 4) Tem-pus, cuius ratione luxatio in junioribus recens cum minore, in veterata cum majore curatur labore, vetusta-que in adultis luxatio, ubi partes quotidie augentur, de-mum evadit incurabilis.

§. XII. Et 5) Symptomata, quæ, quo plura & vehe-mentiora, eo quasi curationi obstrepunt, quo pauciora & mitiora eo faciliorem promittunt sanationem. Unde diffi-cillima est luxationis reposio si conjugitur cum fractura luxationi sœpe vicina. Hinc v. g. luxationes in quibus ossium supercilia franguntur, pestimæ, cum artculus re-stitutus non firmiter satis retinetur. Pariter quibus lu-xationibus dolor ingens, vulnus aut fractura com-binatur, sunt difficiles curatu, ideo, quod sine convul-sionum periculo restitui nequeant, vid. Scult. P. I. Tab. 56.

p. m.

p. m. 226. Membrum denique luxatum, s. v. g. luxatio  
vertebrarum dorsi, potissimum ad interiora contingens,  
difficilius curatur, juxta Hippocr. de artic. §. 43. Fabr.  
Hildan. cent. v. obs. 69. tot. difficilius æque reponitur  
os femoris quam humeri, de quibus Excellentissimus at-  
que Experientissimo Dn. D. Bohnius, in coll. chir. art. v.  
§. II. §. 19. p. m. 104. & 110, ubi de luxationibus specialiori-  
bus agitur, Paræus l. 15. c. 28. Cellus l. 8. c. 15. & Äginet. c.  
114. p. m. 681. videantur.

### CAP. V.

*Chirurgicam luxationum & simplicium & compositarum  
curationem subministrat.*

#### §. I.

**H**isce præmissis quæ ad cognitionem juxta ac digno-  
tionem, nec non ad causas præsagiumque facere vi-  
debantur ordinis ratio postulat, ut ad ipsam nunc luxatio-  
nis curationem sine ulteriori verborum circuitu deveni-  
am, eamque ex triplici veluti usitatorum præsidiorum  
fonte petiam tradam: nimurum Chirurgico Pharmacev-  
tico & Diæticō. Sed ne paticulum temporis & pagellæ  
spatium verbis tantum teramus, quid agendum erit agam  
& ordiar à Chirurgica, quia hæc primo omnium est in-  
stituenda: Luxationis chirurgia *ἀρθρευθαλητική*, Arthremvol-  
lum, emboly audit, complectens sub se 4. actiones mini-  
stras, scil. extensionem, coaptationem, deligationem atque  
repositionem. Ad quas tamen antequam se convertat  
chirurgus, præparet instrumenta tam, quæ, si forsan ma-  
nus non sufficerent ad extensionem, quam quæ ad deli-  
gationem & repositionem necessaria.

§. II. Levis equidem primo intuitu videtur simpli-  
cis curæ, cum facile reponi offis eminentiam posse, cum

plebe ignava vulgus chirurgorum sibi persuadeat, dummodo scilicet sola partis lœsæ circumgyratione inepta aut distensione crudeli negotium aggrediantur, annotante B. Dn. D. Langio jamjam allegato in coll. chir. loc. cit. Verum enim vero luxati membrinaturalem in sedem reductio ut facilius peragatur, summa peritia connexionis ac situs membrorum naturalis semper requiritur, aliter namque procedendum in dislocationibus non solum respectu ipsarum partium affectarum, v. g. Scapulae, maxillæ infer. vertebrarum. Conferantur Heydenrick, Ouerkamp. p. m. 821. & Dan. Sennert. prax. lib. v. p. 6. c. V. Sed insuper alia administratio exigitur in luxatione versus exteriora aut interiora, aliter in extensione tendinum seu subluxatione, consulatur Verdus Tr. de luxatione.

S. III. 1) Extensio, *cifitacis*, Gal. 6. med. m. c. 5. vix in omnibus luxationibus necessaria est, imo sape ad has non pertinet, scilicet ubi nimia ligamentorum relaxatio, nec in subluxatione, sed tunc demum, ubi musculi ossi luxato implantati hoc versus suum principium retrahant. Imo observantur saepius quædam extensionem & repositionem indicatam prohibentia, qualia sunt tumor atque inflammatio insignis, & ab his dependens dolor, ut symptomata urgentia, primam curam postulant. Qui vero dolor à fragmentis osseis tendentibus aut pungentibus, dictas operationes non inhibit.

S. IV. Vix audiendi tamen sunt Hipp. lib. 4. de artic. c. 65. & Fallop. cap. 3. de Luxatione, qui restauracionem intra tres priores dies fieri volebant, iis vero quaque de causa elapsis, ante nonum ad illam accedere in-

interdicebant: cum non adeo certi simus, an infra definitum tempus omnia symptomata recedant, interim juxta eosdem Autores jam dictos aut ossium fragmenta corrumpantur, aut callum contrahant.

§. V. Quod si vero conveniat, quam mature adoranda, omnique tempore eo est allaborandum, ut quanto cito fieri posset ad propriam iterum sedem deveniat, antequam inflammatio superveniat, ejusque instrumenta varia sunt, quorum intuitu duplex reponendi modus ab Autoribus constitutus: Alter Palæstricus seu qui sola manuum contrectatione fit, estque admodum invalidus, & ad corpora mulierum nimirum & puerorum mollia, ut & ad mascula paulo robustiora, si recens fuerit vitium, solummodo utilis, quo de legi meretur Gourmelin. chir. art. lib. I. p. m. 56. Casp. Taliacot. in chir. I. I. p. m. 257. Alter autem Medicus, qui iterum duplex vel methodicus; qui habenis, scalis, forcipe aliisque utensilibus; vel Organicus, qui machinamentis diversis insimul adhibitis perficitur commode. Hic ad prolapsa diuturna non incommodus, in corporibus athletarum, ille vero omnibus fere subjectis est idoneus, de quibus videatur: Hippoc. de artic. text. 64. & lib. I. de luxatis & fractis partibus c. I. Galen. com. 4. in Hipp. text. 64. Oribasius de Machinamentis 5. c. 35. 40. & Paræus lib. 15.

§. VI. Inter quæ tamen reliquis præferenda Glossocomium seu Ambus Hippocratis humero restituendo inserviens. Vid. Scult. in arm. chir. Tab. 24. p. m. 46. it. Tab. 49. Fig. I. 4. p. m. 190. trochlea illa communis seu machina tractoria Vitruvii cum funiculo annexo, & Zonula parti luxatae alliganda, quam Paræus I. 14. c. 7. delineat, aut correcta, qualis ab Hildano cent. V. Hist. 86. 60. & Scult. Tab. 21. 22. in app. Tab. 13. & Solingen tr. de man. opera-

tion describitur, manubrium autem versatile prout aut ab eodem Paræo, aut à Lambswerd. in Append. Instr. ad Scult. Tab. 23, exhibetur; aut illius Galli machina, huicque anteferenda Germanorum, qua icones in actis E-  
ruditorum Lipsiensibus Anno 1683, mense Januarii vide-  
re est.

§. VII. Probe tamen notetur, quod instrumenta ista maximopere sint dolorosa, hinc chirurgis nostris plane inusitata, quinimo penitus etiam videntur non necessaria, judicante Excellentissimo atque Experiētissimo Dn. D. Petermanno in coll. Barbettiano l. c. & memini me au-  
divisse in coll. path. publico Excellentissimum atque Experiētissimum Dn. D. Rivinum huic etiam præbuisse assen-  
sum, quia ab instrumentorum terribilium multitudine ab-  
horrent timidi, si modo chirurgus fuerit satis peritus  
articulationis, motus muscularum & aliarum enchiri-  
fum.

§. VIII. Quia vero nostra memoria luxatio quædam præprimis vero humeri est frequentior carnificibus in torturis, accidit, ut his ipsis etiam frequentius ægroti se con-  
credant, quam chirurgis. Carnifices profecto abstinent ab omni tali instrumento extensorio, soloque manuum ministerio utuntur, & quidem feliciter, ut jam allegatus Dn. D. Petermannus quondam in colleg. chir. secundum Nuckii ductum publice habito, se meminisse aliquot lu-  
xationes femoris, quas laudatissime & ex voto curarunt, diceret.

§. IX. Opiliones etiam & horum uxores passim ope-  
ram navant luxationibus curandis, & quidem sæpe etiam felici cum successu. Quod genus hominum tamen absti-  
net ab omni pomposo instrumentorum extensoriorum apparatu. Si vero utuntur quibusdam instrumentis assu-  
munt

munt levissima. Sic v. g. Dn. D. Petermannus s<sup>e</sup>pius laudatus in coll. Barb. l. a. tradit: se novisse rusticum ex opilio natum, olimque juvenem opilionis adjutorem, eis Schäffer Riecht quæ in luxati humeri extensione humerum suo imponit capiti, corpusque suum intentum inclinat, postea vero utraque manu prehenso humero sensim suum attollit corpus, & capite demum subducto humerum reponit.

§. X. Quidam utuntur janua apta gradu scalarum super quibus humerum extendunt, & utut à quibusdam ejusmodi extensiones putentur periculose ob fractionis metum, attamen hic metus est superfluus, siquidem non fieri potest, os frangi quod in una extremitate firmiter est prehensum, in altera vero solis mollibus ligamentis est alligatum. Quod autem sentina hominum se alienis immiscat, viruperandum est, & tantum abest, ut a quopiam laudetur.

§. XI. Circa ipsum extensionis actum notetur, 1) modus, quem describamus, ut ministrorum manibus perfici soleat, utpote secundum cujus circumstantias illa extensio, quæ vel à solo chirurgo fit, vel habenis & machinis peragitur, facile peragi potest. Scilicet alter ministrorum tibiam v. g. luxatam supra luxationem & circa genu comprehendat, ita ut utrumque pollicem ipsi tibiæ imponat; alter vero si dextrum crus affectum fuerit, ejus alteri extremitati prope malleolos manum sinistram supponat, dextram v. tibiæ applicet, contraria ratione procedendo si pes laboret sinister, adeoque in ipsa extensione pars ita tractetur, ut lineam semper rectam atque muscularum tractum observet, docente Jungkio ante dicto in chir. man. s. 2. cap. 3. p. m. 126. & Ægin. l. 6. II4. p. m. 681.

§. XII.

§. XII. Deinde qualitas seu potius quantitas ratione  
cujus extensio major vel minor esse debet, intuitu offi-  
um majorum & minorum, utpote majore aut minore mu-  
scularum robore pollutum. Extendatur tamen mem-  
brum sufficienter aliquanto longius, ne omnia in redu-  
cendo se invicem tangant ac repositionem impediant.  
Utrum autem sufficiens videatur extensio, judica-  
tur 1) si luxatum os acetabulo suo è diametro opponatur,  
2) si membrum idem fano aliquantum longius & inter ex-  
rema aliqualis fovea aut in luxationis loco nulla ampli-  
us inæqualitas appareat, asserente Steph. Blancardo c. 1.  
p. m. 526.

§. XIII. Secunda operatio coaptatio, θίσθεωσις, Hipp.  
l. 6. de art. tex. 64. Mochlia, Mochleosis seu restauratio  
dicta, fieri debet, quæ facile contingit, si luxatum os ma-  
nibus suis oleo Rosac. l. Myrt. inunctis ita dirigat, articu-  
losque adaptet chirurgus, ut muscularum tractus obser-  
vet, aut extensione sensim luxata illud quasi sponte sua se-  
dem naturalem repeatat. An autem bene restauratum sit  
membrum dignoscitur ex iisdem signis legitimam repo-  
sitionem pronunciantibus: 1) ex figura comparatione  
nimirum facta cum membro fano & v. g. si pollex pedis  
cum genu in recta stet linea, 2) ex æqualitate super-  
ficie restituta, ac 3) ex doloris cessatione, dicente Jungk.  
L. 2. c. 6. p. m. 148. quibus vulgo additur sonus seu strepi-  
tus quidam, qui in ipso repositionis actu observatur;  
Ast fallax quandoque hoc esse signum & vix desideran-  
dum, cum quotidiana experientia Scultetus monet, eo  
quod etiam observetur, ubi non sufficiens facta fuit ex-  
tentio, adeoque de violenta, nimis & impertinente re-  
posi-

positione testetur, i.e. cartilaginum seu ligamentorum effractionem ac rupturam non raro portendat.

§. XIV. In coaptatione situs est naturalissimus, in quo pars observatur quietens, ut plurimum est quidem ita, ut os ossi inarticuletur & undique situm suum claudat, naturalis humeri situs est, si deorsum versus genua dependet, femoris, si ei innitor, maxillæ inferioris, si os est clausum. Probe tamen animadvertisit hunc situm adeo stricte non esse observandum, sed præstare etiam quadantenus, hinc inde os elapsum vel luxatum commovere, licet illa commotio debeat esse modica nec, vehementior.

§. XV. His igitur circa repositionem juxta artis præcepta peractis, insequitur operatio videlicet deligatio, <sup>in</sup>videlicet, vid. Lex. Castello-Brunon, p. m. 295. & firmatio partis affectæ legitima ad inipendiendum novum articuli egressum. Deligatio longe est facilior quam in fractione. Hinc etiam, si inflammatio superveniret luxationem jamjam repositam, nihilominus poterit fieri deligatio sed laxior. Nam simulac remiserit inflammatio, nova eaque arctior institui poterit deligatio, cessante inflammatione postmodum instituatur firmitior deligatio cum emplastro ad istam necessario.

§. XVI. Ipsum deligandi modum quod concernit, membrum (nisi inflammatio jamdum intensior fuerit,) oleis cap. seq. nominandis inungatur, eique emplastrum conveniens applicetur; ita tamen ne hoc membrum totum circulariter tegat, multo minus ejus una extremitas alteram confundat, sed spatium latitudinis pollicis in membra latere has intercedat, ne inæqualitas premens ac dolorifica fiat, ut empl. facilius detrahi queat, ac locus transpirationi ac tumori concedatur. Qua

D.

de

de re memini legere ap. Jungk, in chir. man. s. 2. c. 3.  
p. m. 126. Empl. imponantur splenia membra conditio-  
tione adaptata, & deligationis facienda longitudinem  
emetientia, postquam haec in principio uno vel alte-  
ro illorum appropriatorum liquorum tepidorum quos  
inferius capite proximo recensiturus sum, fuerint im-  
buta.

§. XVII. Quoad fasciationem, fasciis aut solis hoc  
ipsum negotium, aut si opus fuerit ferulis ex cortici-  
bus albis, corio aut charta densa vel multiplicata pa-  
ratis, quae luxatis ut plurimum membris, postquam  
haec reposita & fasciis obvoluta fuerunt, (nisi inflam-  
matio hoc impedit,) ad stabiliendam & firmandam  
articulationem opponuntur, perficitur. Vid. ap. Gabr.  
Fallop. oper. suor. Tom. 3. Tr. 4. c. 6. Fel. Würz. chir.  
c. 25. Marque chirurgie traité des Bandages chapitre  
16. Dan. le Clerc. chirurg. complete, p. m. 188. Si  
modo paululum prudens fuerit chirurgus, nec nimi-  
um arête circumjectis splenii constringat locum, ali-  
as non inflammationibus solum, sed variis præterea  
symptomatibus ansam dabit gravioribus.

§. XIX. Spleniorum vero quæ iis supponuntur  
plura sint, non solum melioris firmationis & retentio-  
nis gratia, sed ut juncturarum quoque cavitates &  
inæqualitates repleantur, pro commodiore fasciarum in-  
jectione: horum tamen crassiora & maxima illi articu-  
li parti opponantur, per quam os luxatum prodibat,  
ne hoc extra sedem suam facile relabatur. His loco  
spleniorum imponatur linteum concerptum quadru-  
plicatum vel fiscum, liquore aut unguento imbutum,  
cui si pars deliganda inæqualis fuerit, minora quoque  
splenia apponantur.

§. XIX.

§. XIX. Hinc fasciatio sive fiat per unam tantum fasciam , si scilicet articulus ad prolapsum non adeo proclivis, similitatione, ac in Clerc. chir. p. m. 360. adornatur , ita tamen ut deligationis principium fiat in latere , per quod os procidit , ibidemque etiam fascia semper firmius constringatur , uti videre est in coll. chir. f. V. §. 7. p. m. 116. Excellentissimi atque Experi-entissimi Dn. D. Polycarp. Gottlieb Schäfer / P. Publ. Anat. & chir. extraordinarii ; sive ad manus sint fasciæ tres pariter liquorib, appropriatis im prægnandæ, qua- rum una eademque brevissima circa ipsam luxationem ter volvatur , postmodum ad membra partem sanam 5. vel sex circuitibus aequalibus ascendat. Quo facto alteram quoque unius capitinis & priore duplo longitu-dinem eidem luxationi, sed in contrariam plagam pa-riter bis l. ter circumducat chirurgus, eademque qua-ter vel quinques descendat , mox iterum per totam ligaturam & sursum ad finem usque prioris redeun-do. Atque hæc fascia tertia scilicet duorum capitum tertia sui patte circa luxationis locum stringat, brevio-ri capite ascendat, altero descendat, quod idem per to-tum membrum superius prodeat , ibique firmetur. Conf. Galenus tr: de fasciis. Oribasius de laqueis & Gour-melinus l. I. p. 43.

§. XX. Fasciæ autem hæc cunctæ circa luxationis locum arctius constringantur , inter ascendendum ac descendendum compressio semper minuatur. Ita quo-que in genere sese habet deligatio , ne nimis laxa sit, alias non retinet , nec arctior justo, præprimis ubi cal-lus progerminat, ac corpus tenerius fuerit , alias do-lorem atque inflammationem augent & atrophiam

cum motus imbecillitate, quam corrigere difficillimum, membro inducunt. Signum aut congruae deligationis est bona ægri tolerantia, i.e. quæ se firmatum haud tamen compressum refert: cui accedit, si levis & molles tumor sequenti die in membra extremitatibus appareat, quippe si talis non conspicatur aut major & durior observetur in priore casu laxior, in posteriore strictior justa ligatura erit pronuncianda: ut proin opus sit, ægrum frequentius visitare, pro deligationum conditione investiganda. Cæterum fasciis, (si membra ratio hoc patiatur, nec inflammatio impediat) ferulæ, observatis illis circumstantiis, quas superius jam indicavi, superimponantur; hinc Hipp. septimo demum die, quo hujus metus cessabat, hoc faciebat.

§. XXI. Quarta tandem operatio, Repositio *in* *polo*, vel collocatio locum habet. Ad collocationem quod spectat, fit hæc membrorum collocatio duobus modis, h.e. vel reponendo, vel suspendendo; reponi pars deligata dicitur, quando nunc vel à motu concutitur vel affluxione tentatur, vel in ea exercenda cumulentur dolores, stabilimentis quibusdam faciliter, atque molliter ea figura, qua deligata fuit collocatur, modo activitatem pro effluxu maturando; modo si neutrum horum sine molestia fieri queat, æqualitatem observando & illud saltim addendo, ut dum membro reponendo, media & indolens figura tribui debet, hoc fiat ante deligationem, ne, si illa postmodum inducatur, fasciæ aut nimis laxentur, aut stringantur. Conf. Steph. Gourmet. chir. p. 37. Media autem membra figura dicitur, quæ absque musculorum tensione retineri valet, v.g. in brachio flexa, in pede

pede recta. Interea quiescit æger nec fasciæ prius solvantur, nisi vires denuo parti redditas esse observeatur, prout J. de la Charriere Traité des operens chapter XXXIV. tradit.

§. XXII. Comoda tamen ac tempestiva religatio duo complectitur, scilicet deligationis renovationem ac ejusdem durationem. Quoad priorem nisi aliqua circumstantia contrarium urgeat, scilicet pruritus, dolor ac nimia fasciarum constrictio ante 6. aut 7. diem hæ non solvantur, suadentibus Nuckio exper. chir. 48. p. m. 121. & Barb. cap. 5. p. m. 24. aliisque. Quamvis igitur multis religio sit illas ante diem 6. l. septimum solvere, tertio tamen velsecundo rectissime & jubente Hippocrate de Fract. Text. 5. solvuntur, vel quia tunc luxari incipiunt vel propter transpirationem impeditam, sepius inflammatio, pruritus imo gangræna metuenda veniunt, qualia exempla præter quotidianam praxin Hildan. cent. 2. obs. 92. perhibet.

§. XXIII. Durationis autem tempus vix specialibus determinari potest, nisi dicamus tunc demum tollendas esse fascias, si articulus sufficienter firmatus videatur, quod in partibus minoribus, v. g. digito præter propter 14. in mediocribus. v. g. brachio atque tibia circa 20. in majoribus autem v. g. humero, scapula ac femore vix 40. dierum spatio contingere solet, quia tamen pro diversitate subjectorum, regionum, anni temporum, majore ac minore ligamentorum tensione, luxatione recenti & veteri quasi articulorum quoque robur, modo celerius modo tardius restituitur, tuitius illi agunt, qui numeratis diebus, adhuc aliquor addunt, ac vinculis demum sublati ægrum monent,

ne membrum motibus exagit et vehementioribus. Atque haec de luxatione simplici, nunc de composita seu quae vulnus & fracturam comitem habet.

§. XXIV. Ubi vulnus aut contusio luxationi associatur, summo sane periculo non vacat malum; imminet siquidem gangrena & sphacelus, nisi celerrime fiat reposicio, & ex opposito metuenda est convulsio, si violenta manu suscipias laborem. Tali igitur in casu aut suadente Joseph du Charriere trait. des playes chapit. 4. p. 353. membrum erit abscindendum, aut satius esset suasu Hippocratis in Vectiar. text. 19. ad de arric. text. 25. & 76. negligere penitus ægrum, ne ars in tam anticipitis auxiliis effectu prostituatur, nisi Christiana charitas Medici opem nihilominus adhuc requireret; Unde etiam chirurgi prudentiores ab ejusmodi luxatorum restauratione abstinent; imo præunte Cello, nec minorum articulorum repositiones absque periculo suscipienda, sed cum grano salis accipienda sunt, ita quidem, ut, si reposito articulo inflammatio major ac convulsio superveniat, melius à quibusdam observetur, si sine magna violentia hoc fieri valeat, articulum ex sua iterum sede exturbare.

§. XXV. Licet non statim in sua sede firmari possit os diffractum non tamen propterea ab opere desistendum, conferatur Muys prax. chir. rat. Decad. v. obs. 7. Locum itaque hic invenit illud: Ex duobus malis minus est eligendum. Qui canon in casibus nimirum dubiis & ubi indicantia contraria adsunt, quid agendum sit, medico docet an desperandum an minus.

§. XXVI. Valde periculosa etiam est luxatio fracturæ ossis juncta, secundum Vigonis prognosin c. i.

p. m.

p. m. 202. ob imminentia similia symptomata , negligi tamen nechic subitanea debet repositio, quo ossis fracturæ facilius postmodum possint coaptari. Plura qui desiderat, vid. Dissert. de membris fractis in aig. sub Præsidio Excellentissimi atque Experientissimi Dn. D. Frederici Hoffmanni, Patroni ac Promotoris omni venerationis cultu prosequendi à Dn. Ottone 1700. Halæ Magdeb. habitam , & Dissert. de Fractura ossis Tibiæ cum vulnere & prominente osse, quam Præside D. Schenckio 1659. Jenæ habuit Dn. Grav/Præter hos conf. Paræus l. 13. c. 4. Guillimeau de operation. chirurg. Tr. 9. c. 5. Guido de Cauliaco Tr. 3. Doctr. I. cap. I. Tagault. Institut. chir. l. 2. c. 4. ut alios taceamus Autores.

§. XXVII. Bene hic etiam notandum est, luxationem competere ipsis etiam tendinibus, quando vulgus chirurgorum, imprimis vero carnifices vocant : *Eine Ader verstaucht haben.* Nam utut verum sit tendines semper & ubique firmiter esse partibus ossis & carne- is annexas; Interim tamen non secundum longitudinem duntaxat, verum secundum latitudinem etiam sæpe numero distenduntur & à partibus vicinis in tantum abducuntur, quæ abductio, annotante præter alias Practicos, Dn. D. Petermanno in coll. Barbettiano. c. V. §. 18. p. m. 31. est dolentissima & momentanea. Observare eam licet in musculis capitis lateraliter flectentibus, (obliguis inferioribus) hi sane taliter læsi tantum inferunt doloris, ut communiter nulli plane dubitent, quin conferant cum dolore quem ex denata uxore fentit maritus ; Siquidem uterque dolor est penetrantissimus, licet subito remittat : cujusmodi luxationem observare etiam possumus in musculis tibiæ abducentibus, membranoso nimirum vel fascia lata, quam vulgo vocamus (*die Hunde-Hincke.*)

§. XXIX.

§. XXIX. Hoc mali genus Excell. atque Experi-  
entissimus Dn.D.Petermannus,etiam quondam perpes-  
sus, nunc tenetur secundum omnes dimensiones cau-  
telam adhibere, ne de novo hanc luxationem exciter,  
alias namque intolerabili ferme afficitur dolore , cui  
etiam mederi nescit, nisi vehementissima tibiæ ex-  
tensione,uti ab eo ipso in coll.chir. publ.in Clariss.Nuck.  
habito anno.1700.auribus audivi.Tendinum vero luxa-  
torum curatio consistit unice in eorum extensione jux-  
ta motum naturalem.Et hæc genuina etiam est ratio,ob  
quam carnifices inquisitos torquentes post applicatas  
chordas extendunt,eorum nempe carpos atq; cubitos.

## CAP. VI.

*Pharmacœuticam & dieteticam luxationum curatio-  
nem continet.*

### §. I.

**Q**uibus exacte consideratis, ad curam nunc phar-  
maceuticam me accingam. Licet citius rediisse  
videantur vires, tamen ob metuendam novam luxa-  
tionem nunquam tuta sunt omnia sed accelerari nihilo-  
minus reconvalescentia potest optime si simul cum  
fasciis adstringentia v.g. vinum austерum tepidum,in  
quo antea parum salis solutum,applicemus, vid. Fel.  
Plater. Praxin in Tr. I. c. 2. p. m. 394. 397. quia tam  
topicorum applicationem quam fasciarum ac ferula-  
rum impositionem involvit deligatio. Medicamen-  
ta in principio convenientia sunt, quæ adstringendo  
atque roborando dicuntur operari & inflammationem  
arcere, v. g. Ol. myrtill. rosar. fl. lambuci, nepethe,  
oxyratum,Mixt. ex vino austero & dictis Oleis,Aqua  
Vitri.

Vitrioli quibus sequentibus diebus aliquid Spiritus Vini addi potest. Quidam ex bolo armeno, thure, mastiche sanguine draconis, gypso flor. balauſt. roſar. &c. & cum albumine ovorum cataplasma parant, quale etiam Hildan. Hist. Milit. class. 15. commendat, quod nihilominus ab aliis. v. g. Agricola chir. parv. p. m. 323. & 343. improbat & convenientiora videntur emplaſtra contra fracturas seu Catagmatica dicta, (Bruch. Pfäſter) v. g. Renodæi, Würzii, c. 25. p. m. 382.

§. II. Deinde etiam luxationi admoveantur adſtrin-  
gentia & defendantia præparata: ex Gum. Traga-  
canth. mastiche, sanguine draconis, bolo arm. fl. ba-  
lauſt. nuc. cupress. rad. biſtort. tormentil. cort. granat.  
bacc. myrtill. bacc. junip. virid. & pingued. equin. F.  
Ungt. Fotus pro humectandis spleniis & falciis parari  
poſſunt ex resolventibus & adſtrigentibus.

§. III. Aſt progressu temporis & ſi inflammatio  
ceſſat, hujuſque metu imminuatur adſtrigentia quo-  
que imminui debent, quorum potentia, dum in ter-  
reſtreitate pontica ſeu in acore particulis terreis deter-  
minata ratione combinato, conſiſtit, vid. Excellentissi-  
mi atque Experientiſſimi Dn. D. Bohnii Dissertationem  
Chymico-Physicam XI. §. 16. p. m. 315. & Dn. D. Welschii  
accuratum medicamentorum ſimplicium examen c.  
1. p. m. 16. Hisque modo recensitis Empl. Oxyroc.  
cum Emplaſtro Diachalcytid. ſeu diapalmæ mixtum eſt  
ſubſtituendum, & resolventibus potius atque nervinis  
agendum v. g. Ol. Rosar. Hypericon. Lumbr. ter.  
Vulpino, Bals. Peruviano nigr. Ol. deſt. Juniperino  
Tart. fœtid. Empl. de Gum. Elemi Minio. &c.

§. IV. Interim ut calli productionem juvemus com-  
moda medicamenta non exterius saltem sed intrinse-  
cus quoque propinentur. Externa sunt in infantibus  
albumina ovorum cum farina volatili, in adultioribus  
myrrha, aloë, acacia &c. de quibus jam dictum fuit. In-  
terna autem observantur Succ. Primulæ, interdum &  
Fol. Agrimonæ, quæ in luxationibus etiam est egre-  
gia & fine pariteste experientia, scilicet in aceto vel vi-  
no cocta, & calide cataplasmatis forma applicata. Vim  
enim fibrarum tonum roborandi possidet efficacissi-  
mam, prout non satis deprædicare potest, Forest l. 7.  
obs. c. 3. Hildan. cent. 3. obs. 81. Horst. l. 1. p. 2. obs. 1. Sim.  
Pauli in Q. B. p. 296. Eph. N. C. dec. 2. anno 3. p. 13. & Joh.  
Frengius chirurgus Amstelod. Summopere quoque lauda-  
tur Lap. Osteocollæ seu Morochtus (*Beinbruch*) tam ad  
fracturas ossium consolidandas, quam ad callos ipsorum  
producendos ad 3j. in vino rubro vel infuso vineæ (cui  
male juxta D. Rivinum additur per vineæ,) assumen-  
do, sed cavendum, in nimia quantitate detur, alias juxta  
Hildan. in junioribus imprimis callus deformis gene-  
ratnr. De cuius efficacia vid. Hild. jam dictus cent 3.  
obs. 90. & 91. Sennert. chir. l. 5. p. 5. c. 1. Boyl. Exercit.  
5. de utilit. phil. experim. p. m. 343. Ol. Worm. Mus. l. 1.  
l. 2. c. 6. p. m. 53. Conrad. Khunrath. p. 2. Tr. 21. p. m. 427.  
Med. destil. Andr. Mathiol. Comm. in lib. 5. Diocor. c.  
109. p. m. 878. Gesner. de Lapidibus pretiosis & fossilibus  
Georg. Agricol. de rebus fossilibus. Joh. Crat. & Fernel.  
in consiliis. Langius in Epist. ac nonnulli alii.

§. V. Quæ tamdiu continentur, donec cal-  
lum productum esse dignoscatur, 1) ex omnimoda do-  
foris

loris cessatione , 2) si circa locum luxatum vel perfractum color cutis bonus ac nativus efflorescat, 3) si juxta Paræum , sanguis quidam rorulentus non quidem per vulneris si adsit oras, sed poros quoque cutis transfudet, fascia & splenja tingens, qnamvis hoc phænomenon rarius observetur. Et 4) si cum vulnere sanie quantitas imminuatur.

§. VI. Fomentationes denique & Epithemata ex summittat. Absynth. Herb. Salviae Rorismar. Major. Pulegio, Rutha, Fl. Rosar. Balaust. Baccis Juniper. cum vino facta optime conducunt , quo de legi meretur Junck. Prax. Med. p. I. f. I. c. XI. p. m. 73. chir. man. f. 2. c. 4. p. m. 153. & Mayow. Op. Med. Phys. tr. 5. p. m. 414. Quo felicet tendinum rigiditas deligatione introducta aliquo modo corrigatur , spirituumque animalium influxus restituatur. Ex his tandem , quæ ultimo nomina viloco , omnium sunt optima , magisque convenire solent , quam priora , utpote propter vim adstringendi & inviscandi sæpius nocent , quamvis judiciose usurpatæ , laudem quoque mereantur egregiam.

§. VII. Tendinum vero rigiditatem atque contraturam quod concernit, hæc corrigitur partim fomentationibus similibusqne emollientibus topicis , qualia Hildan. cent. I. obs. 83. c. 15. annotavit & ego jamjam tradidi , partim callorum supergenitorum excisione; partim etiam ejusmodi instrumentorum applicatione; quæ membrum in oppositum latus flectant , quale illud, quod ab Hildano loc. allig. delineatur.

§. VIII. Oleosa equidem locum habent hoc in casu, sed ubi combinatur contractura & aridura seu atro-

E 2

phia,

phia', minus vero ubi obstructio subsit, magis enim oleosa poros & nervos obstruunt, spirituumque motum & ita influxum impediunt; Ubi vero contractura & aridura, a spirituosis & oleis destit. abstinentur est, sed cocta olea seu pinguedines adhibeantur v.g. Ol. Lumbr. ter. Ping. hum. &c.

§. IX. Sic procedendum in simplici luxatione, sed aliter paululum in composita, ubi tumorem citra inflammationem accendentem externa discutientia tam fixa quam volatilia, item laxativa respiciunt. Inflammationem autem aut V. S. aut alia aliquoties laudata sanant. Ante omnia autem ligatura parti affectae applicata nimirum arcta haud sit, cum saepius haec sola primaria omnium pene symptomatum sit causa. Quod si tamen nihilominus dolor ardens aut spastmodicus accedat adhibebitis cataplasmata ac fatus ex discutientibus ac ariodynis: Parietaria, Malva, Fl. Chamom. Sambuc, Verbas. Melilot. in vino decocta, quibus Sp. Vini simplex vel camphoratus & cum Sp. Sal. arm. mixtus est propositis nervinis commode adjunguntur. Item Elixir Bals. à Jungkenio in chir. man. s. 2. c. 2. p. m. 118. descriptum. Nunquam satis etiam extollere potest Agricola com. in Popp. chym. part. 2. tr. de Sale p. m. 785. in luxatis membris Spir. Salis compositum secundum suam descriptionem p. m. 782. destillatum. Primum autem haud inique obtinet locum Essentia Antipodagrifica nostra in omni fere Arthritidis specie non sine insigni haetenus efficacia tam interne quam externe adhibita.

§. X. Ante omnia itaque in luxatione partis membra majoris ratio habeatur, inflammationis atque convul-

vulsionum metuendarum, hinc in media minusque dolorosa figura membrum collocetur aut suspendatur, eidem applicando topica appropriata, externa antiepileptica cum anodynis & refrigerantibus, minores vero articuli interdum ante inflammationem, interdum illa se data demum restituuntur, & quidem extensione mediocri, quoniam validam non ferunt, & si restaurati fuerint, inflammations atque convulsiones arcentia sedulo applicentur. Ulterius B. Dn. D. Langius in coll. chir. c. 3. impossibilem esse curam arbitratur, imprimis callo perfecte indurato. Sin vero texturæ adhuc molioris extiterit à resolventibus & discutientibus adhuc quodammodo salus speranda.

§. XI. Tandem si propter tendinis elongationem ac infrequentem atoniam non commode firmari in sua articulatione possit os, roborantia iterum ac nervina sunt advocanda, fatus nimirum ex vino calido nunc simplici, nunc cum floribus Hyperici, Major. Salviæ, Roremarino, chamomilla, Flor. stachad. decocto vel inungantur Ol. Petrol. Bals. Peruv. nigr. quod nervinum est singulare. In specie Spiritus ac ol. bacc. juniperi commendatur; Ut videre est Rofinc. l. 4. f. 1. c. 10. Schröd. in Phar. Med. Chym. l. 4. p.m. 86. Kunrath. in Med. destil. Tom. 1. p. m. 419. ad 470. Volkham. in E. N. C. D. 1. a. 9. 10. p.m. 63. Has enim Baccas quod continent, vim contra Paralysin & roboranda membra paralytica, aliaque quæcunque læsa habent plane singularem, atque utimur iisdem ut diuretico & diaphoretico emmenagogique; Quapropter & Rob. ex iisdem paratum Theriaca Gormanorum audit, teste Dn. D. Friderico Hoffmanno in Clav. Pharm. p. m. 492. Ex his est Ung. Opilionum (Schäffer-Salbe / ut

sic loquar,) quod nihil aliud est , quam Bacc. Juniper.  
virid. cum Ping. equin. seu Butyro majali ac deinde ex-  
pressæ, ejus loco unguento potius Populeo chirurgi no-  
stri utuntur. Quo de vid. Phar. Aug. class. 17. p. m. 652.  
Cord. Dispens. p. m. 342. Ejus quoque gummi egre-  
giam dicutiendi vim in paralysi & contractura parti-  
um obtinet , ita ut primatum fere inter nervina post  
maſtichen obtineat. Item Ol. dest. Lavend. Salviæ,  
Succini, Galbani , commendat , Mart. Pansa in Pract.  
spec. p. 4. c. 58. p. m. 294. ac supponatur Emplastrum ex  
Cera, Resina, Pul. Succini & Gummi Elemi.

§. XII. Hisque non sufficientibus imprimis si a-  
cerri humores copiose ad partes affuant: 1) Absor-  
bentia & Temperantia, 2) Evacuantia & Revellentia,  
& 3) Alterantia & Resolventia simul adhiberi debent,  
quo de consulantur Viri Excellentissimi arque Experien-  
tissimi: Dn. D. Bohn, in coll. de Medici Practici judican-  
tis munere p. m. à 59. ad 69. Dn. D. Petermann, in coll.  
Therapevt. c. II. ad VIII. p. m. 4. ad 14. & diss. de medi-  
camentis alvum laxantibus c. I. §. 4. c. 2. §. 2. & Wedel.  
Amæn. Mat. Med. p. m. 220 225. l. 2. f. 2. c. 2. B. Ethmul-  
lerus in Prax. cap. 5. §. 25. Hartman. in Pract. Chym.  
p. m. 5. Sennert. Willif. Sylv. alike plures. In tertia  
quoque curationis intentione videri meretur Excel-  
lentissima atque Experientissimi Dn. D. Christ. Frid. Pin-  
cker. Patroni & Praeceptoris omni observantiae cultu  
æstatem colendi collegium form. Lect. 6. p. m. 28. ad 38.  
Quo in casu optime huc quadrant. Essentia Vegetabilis  
nostra amara & Aqua Bezoartica nostra, ejus loco substi-  
tuendum est Spiritus Bussia Bezoarticus , aut si circum-  
stantiae id ferant supra laudata adstringentia & exsic-  
cantia.

§. XIII.

§. XIII. Si callus in junctura post restitucionem generetur, & quidem tophaceus, ejus curatio frustranea: in molliore vero seu cartilagineo, successus desideratus interdum contingit, vid Dolæ chir. lib. 6. c. 5. p. m. 1506. Primo ergo articulus saepius foveatur decocto parato ex radice altheæ, cucumeris asin. malvæ, bismalvæ, major. & thapsi barbati, deinde locus inungatur oleo amygdalarum dulcium, pinguedine anserinaung. dialtheæ: & illo, quod Hildan. cent. III. obs. 25. in duritie mamarum describit. Fieri ex recensitis simplicibus quoque potest cataplasma aut applicatur Cerot. de cumino, quod Rounhuyzen laudibus extollit maxumis, seu Emplastrum Diachylum cum gummis, de cicuta, de ratis cum Merc. seu oxycroc. quibus per aliquot dies continuatis pro ulteriore resolutione fiat suffitus ex aceto super pyritem effuso, in quo prius aliquid Gummi ammoniaci maceratum fuerit, imo nervina cuncta emollientibus mixta hoc in casu convenienter, v. g. Aqv. Reg. Hung. Essent nostra Antipodagrica jam antea laudata & Sp. Matrical. cuius compositionem Junck. in chir. man. f. 2. c. 1. p. m. 77. describit:

§. XIV. Nec minus frequens est articulum post repositionem sponte recedere, quod si non callus aut fractura acetabuli recipientis sublit, à nimia ligamentorum laxitate contingit, seu ab hac ipsa luxationis violentia seu medicamentorum exiccatum atque roborantium neglectu & intempestivo emollientium usu, seu ab humorum affluxu extoto dependeat. In prioribus casibus medicamenta nobis interne propinanda suppeditat Excellentissimus Dm. D. Petermann. in Coll. Med. Pract. secundum Doctiss. Barbetti ductum privatissime habito, c. 3. §. 13. p. m. 80. & D. L. Ster-

Sterre in coll. Med. Pract. c. 8. p. m. 29. Externe vero applicentur fortiora exsiccantia cum nervinis; v. g. Aqua Vitæ & Reg. Hung. Spiritus Matrical. Salis anim. & Camphorat. quo de vid. Blancard. Prax. Med. c. 10. S. V. p. m. 70. & Jungk. chir. man. s. 2. c. 4. p. m. 152. In posteriore vero simul totius ratio per evacuantia alterantia & revellentia uti superius iam dicta habeatur. Thomas Fienus tit. de caut. & Scultetus articuli uestionem commendant omnibus aliis remedij anteposendum, cujusque administrandi ratio in Armam chir. p. m. 144. describitur.

§. XV. Deinde sicco hic pede non præterea unda est Diæta juxta canonem:

*Optima Medicina bona Diæta,*  
Hæc igitur regula præcipue generalis obseruanda venit, quod omnia, quæ ad membrorum luxatorum commotionem faciunt, hic relegare debeant. Aër externus non minus nobis est necessarius, ac cibus & potus, & ad vitæ conservationem permultum facit. Nam aër est principium vitale, ejusque partes inspiratae constituunt Spiritus animales, sicut videre licet in Excel- lentiissimi Dn. D. Bohnii circulo Anatomico - Physiologico Progymn. IV. p. m. 66. & Progymn. XIX. p. m. 315. Et insuper, ut uno quasi verbo dicam: Aer requiritur temperatus, attestante Galeno l. i. Temper. c. 4.

§. XVI. Sequitur aërem cibus & potus, qui in non naturalibus scèpius morborum causam præbent. Patet autem peccare alimenta vel quantitate, vel qualitate, vel in utroque simul, tum quantitate, tum qualitate. Quantitatis vitia sunt vel in excessu vel in defectu, vel in utroque simul sumptis, vel potus vel cibus pterque. Quantitas porro vel absoluta, quando semper

per prava & in omnibus deprehenditur, vel respectiva  
quando in uno altero ve subiecto tantum prava est.

§. XVII. Jam quod ad animi pathemata pertinet, cum his multo alia res est & profecto si cum Excel-  
lentissimo Dn. D. Rivino in coll. pathol. p. m. 26. ve-  
ra dicere licet, plures pereunt animi pathematibus,  
quam bello aliisque morborum generibus. Dicis mul-  
ti pereunt hydrope, phthisi, cachexia, febr. ard. pleur &c.  
pauci ira, terrore metu, Respondeatur in hos si inquiras  
morbos, tunc hi & plurimi alii proveniunt ab animi  
pathematibus, ira mœrore, terrore, metu, unde dige-  
stiones impediuntur, & varia sequuntur mala. Sic in  
peste ipsa plurimi moriuntur ex terrore, ubi scilicet  
anima semper meticulosa tandem desperabunda dese-  
rit corpus, uti satis prolixè in aureo libello Dn. D. Ri-  
vini de peste Lipsiensi edito, cap. 2. p. m. 30. videre est.

§. XIX. Jam ad iram ac mœrorem me accingam, hæc videntur terrori contraria, ubi Spiritus in vindictam & iram ruit, tunc homines excandescunt potius imo & totum corpus rubet, facies oculique Spiritus ad exteriora migrant, tota massa sanguinea ex-  
agitatur, pulsus acceleratur, cor palpitat. Ira autem non adeo nocet, si expleverit quasi vindictam, ast quo diutius hæret ira in corpore, eo magis nociva est. Cir-  
ca mœrorem alia res est, nam hujus objectum inter-  
dum levis aliqua res est, ob quam mœror non intro-  
ducitur vehemens; Sed si objecta sunt gratissima, non  
recuperabilia & magni momenti, hinc certe graviter  
mœrore solet affici animus. Sic utique Dn. D. Rivini  
judicio manet firmissimum, mœrorem, iram, terrorem  
omnium fere morborum, nisi absolute & proxime

F

tamen

tamen remote & primitive, immo mortis causas existeret.

§. XIX. Quoad somnum scimus tranquillitatem spirituum requiri, nam dum anima in perpetuo motu est, dum omnibus functionibus destinata, hinc natura concessit somnum, ut anima operibus continuis defatigata vires recolligat & ab operibus istis cesse, sicut Excellentissimus Dn. D. Johann. Christoph. Schamberg/ P. Publ. Lips. Physiologiæ celeberrimus, Patr. & Præceptor plurimum honorandus, in colleg. physiol. publ. præclare detexit. Quod ad vigilias concernit, e contrario pater quando denegatur tranquillitas animæ spiritus igneus confundi, diffundi & debilitari enormiter, immo & mentem ipsam confusionem pati dicente D. Rivino in coll. physiol. c. IX. p. m. 35.

§. XX. De Motu & Quietè nunc agendum est, & quis nescit motum excessivum producere morbos immo & quietem excessivam. Principium omnis motus esse Spiritus ex Dn. D. Rivini Physiol. Thes. 9, satis superque evincitur, & jam ubi nimium exagitatur in motu iste spiritus igneus, sic necessum est aucto calore defatigari vires, immo ut superveniat sudor, serum dissipari, adeoque humores inspissari. Sed quies nimia etiam ponderanda occurrit, unde morbi nascuntur varii, qui fere incidit cum somno. Videmus nimia ex quiete uti & somno ubi nullus motus, in hydrope incident homines, quoniam non dissipant serum abundans & transpirationem impediunt, & ita serum colligitur intra cutis poros copiosius, ut hydropici, cachectici, melanch. hyp. & scorbutici fiant.

§. XXI. Modus proinde in corporis alimentis pariter

riter atque animi pathematibus, semper quam maxime est tenendus, jubente & testante Hippocrate: Omne nimium naturæ inimicum. Quandoquidem in luxationibus etiam repositis eo neglecto, omnigena affectuum genera nemo non sibi contrahere potest.

### C A P. VII.

#### Symptomata luxationibus accidentia subnecit.

##### §. I. obnsiforma maiiring ast

Is, quæ luxationes spectant, prælibatis, symptomata denique luxationem sequentia adhuc adjungenda esse conso. Luxationum symptomata sunt: Dolor, tumor, inflammatio gangræna & sphacelus. Dolor articulorum vehementis & acerbissimus existit si ossa corporis habitum firmantia, nimium impulsa, aut sua è sede declinantia vicinos musculorum nervorumque partes premunt, prout Plat. Prax. T. 2. c. 16. p. m. 681. annotavit, potissimum si partes nervosæ & tendinosæ fuerint læsæ. Quilibet enim articulus suos obtinet musculos & tendines, qui nervosi sunt, si ergo elongantur vel comprimuntur, dolor existit exquisitissimus, & sua ligamenta habet, tum externa, tum interna, & quo major inarticulatio dislocatur, eo major diuturniorque hinc evenit dolor. Sic os femoris in osse innominato internum habet ligamentum satis firmum, & difficulter hujus luxatio vel plane non curabilis.

§. II. Ad doloris medelam sine prolixis verborum evolutionibus progredimur, quæ tres præprimis indicationes habet:

- 1) Ut causa remoyeatur dolorifica,
- 2) Fibræ distensæ seu tensæ ut laxentur & leniantur,

F 2

3) Ut

3) Ut fibrarum irritabilitas seu sensibilitas nimia se-  
datur & compescatur.

In causæ sublatione attendenda 1) ligatura si observe-  
tur nimis arcta, est solvenda. 2) Fibrarum tensarum  
laxatio peragitur suadente Dn. D. Bohnio in colleg.  
Therap. s. 1. p. m. 59. paregoricis, anodynis & lenien-  
tibus. Anodyna agunt in partem dolentem. Anodynorum  
autem nonnulla agunt in fibras corrugatas & ten-  
tas partium emolliendo & laxando : rad. alth. lil. alba.  
sem. foen. græc. herb. malv. & melilot. Adipes & medul-  
læ, aqua tepida & omnia quæ vim lubricandi & laxan-  
di habent. Vid Muys chir. rat. Dec. 4. obs. 7. Alia au-  
tem agunt, quæ humores impactos simul resolvunt  
& ita quoque fibras roborant. Talia sunt flor. Chamæ-  
sem. caryi, anethi, item contusi caryoph. & impositi.

§. III. Tertio indicantur, que irritabilitatem tempe-  
rant, & quæ spiritibus aliquantū torporis introducantur;  
sunt hæc medicamenta narcotica interne pariter & fre-  
quentius quidem atque externe & rarius adhibitæ.  
Quoad narcotica hæc agunt in spiritus, toto corporio  
torporēm introducendo, talia sunt papaverina, opium,  
spong cynosbati rad. mandragoræ, sem. & rad. hyo-  
scyam. lolium. aqua frigida, quæ torporem Spiritibus intro-  
ducunt. Sic multi frigore pereunt, nam Spiritus ad  
centrum abeunt, & torpor iis introducitur. Quod atq[ue]  
fibras opiate laxent, patet exin quia omnes fluxus si-  
stunt, dolores mitigant, tussi medetur, & quia fibras posse  
rosque laxant, sudores & diaphoresis movent.

§. IV. Nunc sequitur tumor subitaneus & inflam-  
matio, nam statim ac facta fuit luxatio, tunc intumescit v  
articulus supra modum, nam dolor ipsius excitat, b  
a spa-

a spasmo autem tumor semper oritur & inflammatio; Motus quoque impeditus in momento accidit, si enim motus adhuc superstes res est bona, nullaque adeat luxatio. Si dolor tumor atque inflammatio urgeant, & quidem mox ante repositionem, symptomatis his ante omnia prospiciendum est, ne si articuli luxati, restitutio mox tentetur, ex violentiore partium nervolarum distensione convulsiones aliaque mala orientur atrociora. Hinc positio membro in medio magisque doloroso situ, ac universalibus si exigantur praemissis, applicentur tumorem discutientia & inflammationem atque dolorem mitigantia, qualia sunt Mixt. ex vino & oleo rosaceo vel floribus verbasci tepida, aqua Reg. Hung. item superius adducta & in cataplasmati formam redacta medicamenta quibus simul admiscenda anodynæ scilicet Malv. bismalv. Pariet. rad. Alth. Fl. chami, verbasci, sambuci cum meliori de quibus multum diuque sermo huius. Sin post repositionem deinde symptomata haec emergunt, vincula arictiora ante omnia moderate laxentur ac recensita topica ex repellentibus & adstringebus parata, admoveantur.

S. V. Primarium autem inflammationis indicans est sanguis in tertia corporis regione stagnans, qui sibi remotionem exigit: Sanguinis stagnatio inhibetur per sanguinis eductionem, venæ sectiones in partibus remotoribus adornatas, & ubiorem humorum afflumen revellendo atque derivando impedientes. His ex internis addantur sudorifera resolventibus combinata, v.g. Salia volatilia urinosa, Salis armon. Cornu cervi etc. vel fixa illa ocul. cancrorum, lap. percarum raf. dentis apri. sanguis hirci, tandemque antimonialia,

olligis

F 3

an-



antimonium diaphoreticum simplex vel martiale, quæ  
sæpe sola sine ulla sanguinis evacuatione in inflammatio-  
nibus minoribus, & in subjectis non adeo plethorici  
morbis hunc tollunt & humores viscidos & coagulatos resolvunt.

§. VI. Bezoartica nostra in per multis hucusque  
affectibus Deo juvante nempe in Cephalalgia, Febri,  
Variolis, Phthili, Hydrope, Passione Hysterica etc. (absit  
jactantia verbis,) maximo cum emolumento propina-  
ta, nec non Essentia Vegetabilis nostra amara, quæ con-  
tra febrim & malum hypochondriacum ut & ad sto-  
machum corroborandum & dolorem sedandum in-  
signiter prodest, atque Essentia nostra Antipodagrifica  
huc etiam in usum est vocanda. Ubi vero spasmodica  
fibrarum affectio in cœnæ est, incassum omnia adhi-  
bentur resolventia & diaphoretica nisi antispasmodica  
simul admisceantur & imprimis anodyna observan-  
te B. Dn. D. Langio in cursu ut vocant Medico c. 8. §. I.  
p. m. 63. convenient proinde hoc in casu Liq. Cornu  
Cervi succinatus, Antih. Poter. Cinabaris Antimonii  
& si febris in simul urgeat, Lap. Prunellæ imo ipsa quo-  
que opiate.

§. VII. Etsi à præcis pro hæc intentione commen-  
dantur repellentia, quæ ab extra apposita vi adstrin-  
gendi aut refrigerandi tumorem & affluxum humo-  
rum reprimendo, partiumque poros cludendo agunt  
secundum Excellentissimum atque Experientissimum  
Dn. D. Langium beatæ memoriae in Dissertat. de re-  
med. vulnerariis aug. à D. Ritter 1694. habita §. 22. No-  
tetur tamen primo illos errare toto cœlo & repellen-  
tium usum quibusdam in casibus plane nullum, sed ab  
illo

illo abstinentium esse, quemadmodum recentiores  
Henr. Overkampius in neuen chirurgischen Gebäude  
p. m. 571. Barbett. chir. c. 2. p. m. 133, Blanckard. chir. c. 2. p.  
m. 205. Corn. Bontekoe. in neuen Gebäude der chirur-  
gie. & Daelmannus suadent. 1) In inflammationis criticis,  
quales ut plurimum sunt Erysipelaceæ, 2) in tali quæ à  
causa dependet venenata morsu scilicet viperæ, 3) quæ  
plethora humoresque viscidos comites habeat, 4) quæ  
circa vasa majora v. g. in inguinibus & cum dolore ve-  
hementiore existit; In hoc quippe casu anodyna poti-  
us jamjam nominata sunt substituenda. Deinde vix  
repellentibus solis utendum sed his resolventia atque  
penetrantia simul addenda.

§. VIII. Idem de refrigerantibus esto judicium  
expellendi intentione adhibitis, si circa primum ista-  
tim principium, antequam firmius fibris partium im-  
pingatur a violenta causa externa extravasatus crux,  
ipsa adhibueris, facile ad gangrenam & sphacelum di-  
spones affectam partem. Abstinentum quoque est ab  
emplastris resinosis & tenacibus admodum sua namque  
corroositate non raro illinunt poros, sicque exhalatio-  
nem insensibilem impediendo variis symptomatis fa-  
tis saepè periculis dant ansam. Adhiberi autem possunt  
emplastrum de minio, Saturninum, Myns. similiaque.  
Pariter non facile ad pinguia calidiora qualia sunt olea  
accedendum, uti Barbett. Anat. Pract. p. m. 322. Dolæi En-  
cyclop. chir. l. 1. c. 3. p. m. 57. Muys Prax. Med. chir. ac-  
cad. 5. obs. 1. p. m. 172. suadent.

§. 9. Sub morbi incrementum externa repellentia cum  
resolventibus miscenda, in statu vero illis permundandum;  
cum sudoriferis vero atque resolventibus intrinsecis  
pergendum, quibus, quia dolor hoc tempore augetur,  
opia-

opiata addere conductit. Quod si ergo ex horum usi tumor subsidere & calor, rubedo atque dolor mitigari observentur, declinatio inflammationis & quidem per resolutionem praesto est, adeoque discutientium atque resolventium usi tantum pergendum. Quod si vero suppuration ex signis suis imminere videatur, huic maturantia v. g. Mercurialis, Melilotus Alth. Cham. ficus, fœn. græc: sem: lini sunt adhibenda.

§. X. Mediis inflammationis præmissis, ad gangrænæ & Iphaceli medelam mihi est transeundum: Gangrænæ proinde curam quod concernit, poterit hæc vel generaliter, vel specialiter explicari: Scilicet si incipiens atque imperfecta gangræna, diversa auxiliorum genera postulat, causæ antecedentis rationem semper habentia, & curatio instituatur secundum has indicationes

- 1) acrimonia humorum temperetur per medicamenta primario intera, v. g. Ex regno animali per partes duras præparatas & spiritus urinosos temperatos, Ex regno vegetativo per plantas vulnerarias. Ex regno minerali per antimonialia fixa cum martialibus unita. Ab extra vero ex mineralibus sunt imponenda omnis generis saturnina, v. g. Tur. Nihil. Min. Lyth. imprimis vero saturnina hæc aceto incoquuntur.
- 2) Convulsiones aut præcautæntur aut mitigateur, si spiritibus misceantur theriacalia, castoracea atque anodyna. Hinc satis deprædicari nequit Dn. D. Peterman. in Coll. medico - Pract: part. 3. cap. 17. p. m. 303. hic essentia theriacalis cum castoreo mista vel poterit etiam fieri potio ex aquis nervinis, v. g. floribus Sambuci, cerasis nigris, tenell. cornu cervi, theriaco cum specif. Ceph. Pul. March. epilep. etc.

§. XI. Si autem vera & perfecta fuerit gangræna, à qua cuncte demum causa hæc dependeat, indicationem ut

nam

nam eandemque habet scilicet ut patredo inchoata inhibeat, ne vel ulterius serpat vel intendatur, & in sphacelum degeneret, quam iisdem quoque remediis in omnibus gangrænae speciebus exequilicet. Perfectiorē itaque gangrænam (secundum plurimorum autorum opinionem,) mox ad partem usque sanam scarificari convenit, cavendo, ne nervi aut tendines lœdantur; hinc scarificata pars probe eliuatur cum muriali monum vel brassicæ (lacte von Sauer Kraut) lixivio barbitonorum, decocto calcis vive solitariè vel cum spiritu vini simplici aut camphora maritatovel illo, quod a Riverio observ'a Fomio communic. 24 miris præconiis commendatur item vino Hispanico, spiritu vi ni simplici ac cum sale armoniaco acuato vel spiritu vi ni camphorato aut theriacali, vel Tinctura Myrrhæ, Aloes, Asfæcetidæ spiritu salis armoniaci, spiritu matr. cuius mentionem fecit Iungk in chir. man. f. 2. op. 2. c. XII. p. m. 307. in quibus aliquid unguenti Ægyptiaci dissolvitur: huius etiam loci est lotio Hildani de Gangræna & Spacelo c. 13. item cum Riverio observata ab eodem Fomio communic. 22. descripta.

§. XII. Probe autem hac ratione elotis & mundatis scarificationibus imponatur vel Mercur. præcipit. solus vel cum alumine, myrrha, aloe & capite mortuo vitrioli mixtus item lapis medicamentosus Crollii aut quod magis approbandum, cum plumaceolis applicetur oleum carioph. item cinam quajac. juniperi vel per se vel cum oleo rosaceo temperatum vel sulphuri combinatum, quo casu exsurgunt terebinth. bals. sulphuris, præprimis iuxta Zwölfferi descriptionem cum sale tartari præparatum, butyr. antimonii Unguent. Ægyptiac. & sp. sulphuris  
G cujus

eujs usum singularem Riverius Cent. i. obs. 84. per experientiam confirmat. Instar omnium tamen solutionem clavellatorum & tantillum aluminis proficuum novit B. Dn. D. Langius in coll. chir. c. 2. §. & conferatur ex recentioribus Overkamp. in cap. 2. p. m. 90. ubi fusius de convenienti apparatu disserit. Quæ cuncta tamen 1) calida aut tepida sint, cum & actualis calor hic multum præstet, nec 2) acriorum applicatione diutius iusto insistendum, ne acrimonia sua & diuturniore usu novam gangrænam pariant.

§. XIII. Sed si natura secretionem moliatur, quod dignoscitur, quando uti superius annoratum, circa partem gangrænatam circulus vel linea rubicunda & dolorifica quasi appareat, & ulcerus incalescat, ad alia transfundum. Scilicet digestiva & posthæc abstergentia, quibus tamen semper aliquid de illis, quæ putredini resistunt, admiscendum. v. g. Unguentum aureum, matur. usitat. de apio etc. cum unguento Ægyptiaco, myrrha, oleo terebinthinae, balsamo sulphuris & Peruviano. Hæc interim omnia dum flunt, & quo usque omne gangræna periculum cessarit, reliquis medicamentis super imponi debent cataplasma ac fomenta actu calida, adeoque pro calore hoc actuali conseruando sèpius renovanda, parata ex radice angelicæ, aristol. rotund. herb. nicot. rutæ, absinthii scordii, menthæ, millefolii, floribus cent. min. sambuc. cham. rosar. baccis juniperi, sem. cumin. gallis, virriolo sale com. Lytharg urina, spiritu vini vino & lixivio, quæ tamen in principio quasi repellentia in progressu vero potius resolventia sint.

§. XLIII. Parti autem sanæ defensionis gratia simul applic

applicentur repellentia ac defensiva, id est, quæ ulteriore  
rem veneni gangrænosi expansionem æque ac humo-  
rum congestionem inhibeant, qualia partim superioris de  
inflammationibus tradita, partim sunt defensivum Chal-  
methei aut Hildani, utraque ab hoc de gangræna & spa-  
celo c. 13. descripta, item Cerat. Vig. de minilio & similian.

§. XV. Sphacelus denique si gangræna superveniat,  
aut sine gangræna præsto sit, nullam amplius curam  
admittit, sed cum quod in corpore plane emortuum est,  
vitam recuperare haud valeat, & rei toto genere p. n., ra-  
tionem habeat, una adhuc indicatio restat, illud è corpo-  
re tollendi ac extirpandi juxta Poëtam

— — — Sed immedicabile vulnus

Ense recidendum. ne pars sincera irahatur.

Quod si ob loci incommoditatem fieri nequeat res despe-  
rata est, de quo consul. Scult. Hildan. Solingen ac non  
nulli alii. Alias vero totum interdum aliquod mem-  
brum amputandum est, quando scilicet corruptio omnes  
vel plurimas illius partes corripiat, interdum vero ali-  
quid saltem ex illo demere sufficit, si nitidum pars ejus  
saltem exterua & patens sphacelata fuerit.

§. XVI. Tantum est L. A. quod hac occasione ob-  
lata angustiis temporis pagellarumque spatiis ex curta  
eruditionis meæ suppelleatile de luxationum synthesi  
in genere in medium proferre potui, debui. Hocce ut  
æqui bonique consulere, & sicubi aberravero benigne  
condonare, defectusque meos Tua supplere humanita-  
te, & favoris umbone tegere velis, tamdiu, donec im-  
posterum perfectiora Tibi proponere possim, est quod  
abs Te obnixe oro atque obtestor. Unum tantum illud  
restat, ut Tibi æterne DEus humillimas, quas mente  
concipere possum devotissima agam habeamque gra-  
tias,

tias, pro summa, qua cunctis hactenus à me propositis adspirasti clementia submissis adorans precibus, ut conatus meis porro annuas. Faxit DEus immensa bonitate optimus, vi atque potentia infinita maximus, ut Praxis Medica, cui futuris me temporibus destinavi imprimis in sui divini nominis gloriam, & plurium denique ægrotantium solamen & refectionem cedar.







Uf 1378



V017





B.I.G.



DIVINA FAVENTE CRATIA!  
DISSERTATIO MEDICO - CHIRURGICA INAUGURALIS  
De

LUXATIONUM  
SYNTHESI IN  
GENERE,

Quam

IN ALMA REGIA ET ELECTORALI FRIDERICIANA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,  
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS BRANDENB.  
AC PROVINCiarum HÆREDE ETC.  
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRAESIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,  
MEDICINÆ ET PHILOSOPH. NAT. PROF.

PUBL. ORDINARIO,  
POTENTISSIMI REGIS BORUSS. CONSILIARIO  
ET ARCHIATRO h. t. DECANO,  
DN. PATRONO ET PROMOTORE SUO OMNI VENERATIONIS  
CULTU PROSEGUENDO.

PRO LICENTIA,  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES JURAQUE ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA

Ad d. 17. Septembris. Anno M. DCCIII.

Horis ante & pomeridianis consuetis

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet

JOHANNES GODOFREDUS Grublmann/  
Grim. Misn. Med. Pract.

Hakæ Magdeburgicæ, Typis Johannis Gruner, Acad. Typogr.